



**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

Qvæst. 1. Quid sit signum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

266 LOGICA. In libros de Interpretatione,

manum, vel caput, &c. *quintus* contentum, non per modum partis, & ab hoc dicitur vas habere vinum; *sex- tus* rem possessam, & ab hoc dicitur aliquis habere diuitias. *Septimus* denique est ille, à quo dicitur vir habere mulierem. Et hæc de prædicamentis sufficiant, ad Dei gloriam.

DISPUTATIO XIX.

QVÆ EST VNICA.

IN DVOS LIBROS PERIHERMENIAS seu de Interpretatione.

I libri vocantur de interpretatione, quia in iis principaliter agitur de Propositione, quæ est interpretis mentis nostræ, seu nostrorum conceptuum: neque enim aliter quam per propositionem possumus alicui declarare quid sentiamus. Multa autem scitu valde necessaria in iis tractauit Philosophus: quia tamen declarata sunt sufficienter in summulis, paucissima hic examinanda nobis supersunt.

QVÆSTIO I.

Quid sit signum.

S *Augustinus lib. 2. de doctrina Christiana Scap. 1.* signum describit esse id, quod præter speciem, quam ingerit sensibus, aliud facit in cognitionem venire. Verum hæc descriptio non est adæquata, quia non complectitur omne signum, quia possent dari signa spiritualia, quæ deducerent in cognitiones aliarum rerum, nec possent percipi à sensibus materialibus, de quibus loqui videtur Augustinus: neque enim potentia cognitiua solet proprie vocari sensus.

Arriaga disp. 13. sect. 1. describit signū vt sic, esse quod facit nos in alicuius rei cognitionem venire. Hæc descriptio non placet, quia obiectum facit nos in cognitionem sui venire, & tamen non propterea dici potest signum. *Rursus* Deus ipse facit nos in cognitiones multarum rerum venire eas nobis reuelando, nec tamen ab illo vocatur signum illarum rerum. *Præterea* cognitio est signum rei, quæ cognoscitur per ipsam secundum hunc authorem, & tamen ludiorum esset dicere quod cognitio deduceret in cognitionem, aut faciat nos in cognitionem venire.

Nec etiam placet definitio signi tradita ab *Hurtado disp. 1. sect. 1.* signum est, quod aliquid significat seu representat, id est, quod aliquid facit præsens potentia cognoscitiua; nam vel ipsa res facit seipsam præsentem, vel certe causa proponens rem isti potentia id facit, & tamen nec res, nec causa illa potest dici bene esse signum.

Vt vera signi descriptio habeatur, prius consideranda sunt aliqua, quæ solent signa appellari, vt ex conuenientia particulari, quam illa habent, ratione cuius talia dicuntur, possit colligi ratio communis signi.

3. Itaque imprimis non est dubium, quin quidquid positum potentia cognitiua deducit nos in cognitionem alterius rei, sit signum, hac enim ratione fumus dicitur signum ignis, hædera vini, vox homo naturæ humanæ, sacramenta gratiæ; & si essent etiam aliqua spiritualia, quæ propolita Angelis eos deducerent in aliarum rerum cognitionem, sicut nos deducimur per huiusmodi signa, essent sine dubio signa propriissima: quod si non haberentur alia vlla signa præter huiusmodi, facile esset signum describere, dicendo quod esset illud, quod cognitum ab aliquo deduceret ipsum in cognitionem alterius.

Præterea ipsamet cognitio representans nobis aliquam rem vocatur signum istius rei, & quia non eodem modo significat, quo illa alia signa, dici solet signum formale, & illa alia signa instrumentalia.

4. *Rursus* non solum cognitio, quæ est species expressa rei, vocatur signum, sed etiam species impressa, quæ cum potentia concurret effectiue ad speciem expressam

seu cognitionem producendam; & quia non eodem modo significat, quo ipsa cognitio aut priora illa signa, & habet tamen secundum aliquam rationem similitudinem aliquam cum prioribus signis, quam non habet cum cognitione, nimirum quod non repræsentat aliquid, nisi quatenus concurret ad producendam cognitionem, cognitio vero repræsentat non concurrendo ad cognitionem; secundum aliam vero rationem habet similitudinem cum cognitione, quam non habet cum prioribus signis, nimirum, quia species deducit in cognitionem, quin ipsa cognoscatur, sicut cognitio; alia vero illa signa non deducunt in cognitionem, nisi cognoscantur; & propterea vocantur media cognoscendi cognita, species vero medium cognoscendi non cognitum; hinc aliqui vocant species impressas signa instrumentalia propter conuenientiam illam, quam habent cum prioribus, & ab aliis vocantur formalia signa, non instrumentalia, propter conuenientiam quam habent cum cognitionibus.

5. Quamuis autem hæc satis communiter dicatur, reuera tamen species impressa non videtur posse dici proprie signum rei, in cuius cognitionem ducit, quatenus non cognita concurret ad cognitionem rei producendam: nam alias Deus ipse quando suppleret defectum talis speciei, aut se solo produceret cognitionem alicuius rei, posset dici esse signum istius rei, contra omnes. Dixi autem *quatenus non cognita ducit ad cognitionem*, quia si proposita obiectiue, & cognita ab intellectu, deduceret ipsum in cognitionem alicuius alterius rei, aut ex natura, aut ex instituto, haberet propriissimam rationem signi.

Sed nec species etiam expressa aut cognitio videtur habere veram rationem signi: nam ex communi sensu signum habet deducere nos in cognitionem, quod tamen, vt supra dixi, non conuenit cognitioni. Nec refert quod cognitio repræsentet obiectum, quia ad rationem signi non sufficit repræsentare quomodocunque, sed debet repræsentare mediante propositione obiectiua sui.

6. Itaque quandoquidem non sint alia, quæ appellari solent signa, nisi signa illa, quæ cognita deducunt in cognitionem, quæ vocari solent instrumentalia, & species impressæ ac expressæ; si verum esset quod dixi, has species non esse signa, descriptio supra posita signi, nempe quod sit illud quod cognitum deducit in cognitionem alterius, esset adæquata signi, vt sic, descriptio, omni & soli tali signo conueniens, atque adeo bona.

Diceret illa descriptio conuenit causæ, nam ex ea proposita potest quis deuenire in cognitionem effectus: sed causa non est signum effectus, ergo.

Respondeo negando minorem; nec enim vlla prorsus est ratio cur effectus sit signum causæ, & causa non possit esse signum effectus: & præterea ideo effectus potest esse signum causæ, quia propter naturalem connexionem, quam habet cum causa, quoribus excitatur species ipsius, solet etiam excitari species causæ; sed similiter excitari solet species effectus, quando excitatur species causæ: ergo causa potest esse signum effectus.

Aduertendum autem hic non ideo videri effectus signa causæ, aut è contra causæ signa effectuum, quia sunt talis naturæ, vt qui cognosceret effectum esse, posset mediante discursu deuenire ad cognitionem existentia causæ, aut è contra: sed ex eo quod excitata species vnus, excitati possit species alterius absque discursu.

7. Sed supponendo quod cognitio rei sit signum ipsius, & etiam species impressa, vix sane potest ab ipsis ratio aliqua communis signi, quæ non competat aliis rebus, quæ non sunt signa, abstrahi, vt patet ex dictis, vnde si sint signa, non videtur conuenire nisi æquiuocè in ratione signi, & consequenter non possunt vna descriptione definiti. Dicatur ergo signum instrumentale esse quod cognitum deducit in cognitionem alterius: & signum formale dicatur illud quod non cognitum, sed inhærens potentia facit illa cognoscere aliud, & in hac descriptione conuenit vniuocè species expressa cum impressa; distinguuntur vero in hoc quod species expressa facit cognoscere potentiam formaliter per communicationem formalem sui absque productione alterius, quod ad hoc sit necessarium, species

Non tamen quatenus non cognita ducit in cognitionem.

Cognitio non est signum proprie loquendo.

Causa est signum effectus hoc causa.

Quid signum instrumentale.

Quid signum male.

Descriptio signi data à S. Aug. non est adæquata.

Descriptio Arriagæ reiecitur.

Descriptio Hurtadi reiecitur.

Quidquid positum deducit nos in cognitionem alterius est signum.

Cognitio est signum formale obiecti.

Species impressa est signum.

species vero impressa facit cognoscentem effectiue: vnde signum formale potest diuidi in signum formale effectiuum, qualis est species impressa; & signum formale non effectiuum, quale est species expressa.

Sed quidquid sit, an signa hæc, quæ vocantur formalia, sint vera signa, quod dependet à quæstione de nomine, & an continentur vniuocè in ratione signi cum signis, quæ vocantur instrumentalia, quod spectat ad quæstionem de re, quia in hoc libro non agitur per se, nisi de signis instrumentalibus ex instituto, propterea de signo instrumentali vt sic, quod est genus ad signum naturale, & ad signum ex instituto, aliquid amplius tractabimus, ex quo etiam facile quis discurrere poterit de natura aliorum illorum signorum.

CONCLUSIO I.

Quid signum instrumentale.

8. Signum instrumentale vt sic bene describitur esse id quod cognitum ducit in cognitionem alterius. Hæc est communis, & patet, quia omne & solum signum instrumentale est huiusmodi.

Dices: species impressa est signum instrumentale, quia est instrumentum aptum ad representandum intellectui aliud, & non est formale signum, vt est cognitio, ergo.

Respondeo negando antecessariè ad cuius probationem dico, quod non sufficit ad signum instrumentale quod sit instrumentum deferuens, sed requiritur quod obiectiue propositum deducatur in cognitionem.

Dices secundo: Creatura deducere possunt in cognitionem Dei obiectiue propositæ, & tamen non sunt signus Dei.

Respondeo, vt supra dixi, ad rationem signi, de quo hic agimus, non sufficere quod obiectiue propositum possit deducere ad cognitionem alterius quomodocumque, sed requiri quod id possit facere absque discursu; & sic sane vox Homo ducit in cognitionem naturæ humanæ, & sumus in cognitionem ignis. Verum quidem est, quod fumus posset deducere in cognitionem ignis mediante discursu, sed tum non haberet se per modum signi, nec eodem modo deduceret in cognitionem ignis, ac quando vt signum deducit in cognitionem ignis; nam quando vt signum deducit in cognitionem eius, non deducit nos in cognitionem ipsius, vt est causa fumi; at quando deducit in cognitionem ignis mediante discursu, deducit in cognitionem ipsius vt est causa: & hinc fit vt effectus possit deducere in cognitionem causæ mediante discursu, quamuis nunquam ante videretur esse coniuncta cum causa, ac nunquam posset effectus deducere in cognitionem causæ per modum signi, nisi ante cognosceretur coniuncta. Cuius etiam ratio à priori videtur esse; quod signum huiusmodi vt signum, non deducit in cognitionem rei, nisi quatenus propositum eo ipso excitatur species alterius rei: non possent autem sic excitari, nisi quia antea simul proponebantur aut intelligebantur.

CONCLUSIO II.

Signum adequatè diuiditur in signum naturale & signum ad placitum. Quid signum ad placitum.

9. Signum vt sic adequate diuiditur in signum naturale, & signum ad placitum. Hæc etiam est communis, & patet ex explicatione membrorum diuidentium. Itaque naturale & signum ad placitum, seu ex instituto est illud signum quod ex se indifferens est ad significandum illud, respectu cuius dicitur signum, vel non significandum; sed ex voluntate alicuius volentis, vt pro illo potius quam pro alio accipiatur, determinatur ad illud significandum; talis est vox Homo, quæ ex natura sua tam bene posset significare naturam equinam, quam humanam, & non significaret vnâ potius quam alteram, nec alterutram omnino, nisi Deus, aut Angeli, aut homines ordinarent, vt per illud natura humana intelligeretur: tale etiam est Sacramentum nouæ legis, quatenus significat gratiam.

Signum autem naturale est, quod independentè ab institutione aut voluntate alicuius significat aliud, quando proponitur, & tale est fumus respectu ignis, suspiria respectu doloris, imago seu pictura respectu rei, cuius est imago, si habeant similitudinem physicam aut proportionem aliquam physicam inter se.

Ex his patet conclusio, quia quidquid habet significare aliquid, aut habet illud significare dependentè ab institutione aut ordinatione aliqua & sic est signum ex instituto & ex placito: aut non habet, & sic est signum naturale: ergo nullum datur signum, quod non sit ad placitum aut naturale, & consequenter prædicta diuisio erit adæquata.

Dices: signum ex consuetudine, qualis est canis adueniens respectu aduentus sui Domini, non est signum, aut ex placito, aut naturaliter: ergo datur aliquod signum non comprehensum in prædicta diuisione. Minor quoad primam partem probatur, quia non est facta vlla institutio ea de re, vt certum est: & etiam quoad secundam partem; quia canis non habet vllam naturalem connexionem cum aduentu Domini, & aduentus eius posset nunquam habere vllam concomitantiam cum illo: ergo non est signum naturale eius.

Respondeo negando minorem pro secunda parte: ad cuius probationem dico, hinc intelligi per signum naturale illud quod significat independentè ab instituto, siue ex natura sua intrinseca, siue ex aliquo alio accidente id ipsi competat. Hoc autem sine dubio competit aduentui canis: nam ex eo quod sæpe videbatur aduenire cum domino, proposito aduentu ipsius, excitatur species aduentus domini, aut alterius, cum quo videbatur frequenter aduenire. Quod si etiam casu aliquo quis appenderet hæderam ad suam domum, quoties haberet vinum venale, quamuis non intenderet aut ipse, aut alius significare vinum esse venale per hoc, hædera esset signum naturale vini & non ex placito.

CONCLUSIO III.

11. Signum naturale constituitur in esse signi realiter per connexionem, quam habet independentè ab instituto cum re, quam significat, & formaliter constituitur in esse signi per aptitudinem, quam habet ad deducendum potentiam in cognitionem illius rei. Signum vero ad placitum constituitur in esse signi realiter per institutionem, qua instituitur ad significandam rem, & formaliter per aptitudinem, quam habet supposita institutione ad deducendum potentiam in cognitionem ipsius rei. Hæc in re videtur negari non posse, & patet, quia à nulla alia ratione possunt constitui in esse signi realiter aut formaliter potius, quam ab his rationibus: ergo ab his sic constituntur.

Per quid constituitur signum naturale in esse talis, & signum ad placitum.

Confirmatur, quia non constituitur in esse signi per actuale significationem, quia hædera est signum vini, etiam quando nemo respicit illam, & Sacramenta sunt signa gratiæ, etiam cum nihil causant, & etiam si nemo aduerteret, quod essent causatiua aut causarent: ergo debent constitui per aptitudinalem significationem.

12. Obiicitur contra vltimam partem: potest quis cognoscere aliquid esse signum, quamuis non cognoscat illam institutionem: ergo non constituitur in esse signi per illam institutionem. Probatur antecessariè, quia non aduertimus ad institutionem vocum, quoties cognoscimus illa esse signa; id quod longe magis patet ad sensum in simplicioribus, qui non sciunt vnde habeant voces esse signa, & tamen sciunt ea esse signa.

Respondeo, hanc difficultatem esse communem in quacumque sententia, vt bene aduertit Hurradus, quia non aduertimus etiam ad quodcumque aliud, quod diceretur esse ratio constitutiua signi, & præsertim id verum est de simplicioribus.

Respondeo secundo distinguendo antecessariè; à posteriori, quatenus videmus quod deducatur in cognitionem alterius, concedo: à priori aut directe, nego antecessariè & consequentiam, quia potest res aliqua cognosci habere aliquam rationem, vnde comperat ipsi aliquis effectus, licet non cognoscatur, quænam illa ratio sit, vt patet mille exemplis.

Dices: Institutio præterita iam non est: ergo non potest esse ratio realis, cur signum possit deducere iam in cognitionem.

Confirmatur, quia iam signum habet aliquid, ratione cuius

Z z

cuius possit iam significare: alias iam non significaret: sed non habet iam institutionem præteritam, quæ ante tot annos defuit: ergo habet aliquid aliud, & consequenter ab illa institutione præterita non habet iam significare.

Respondeo negando consequentiam, quia quamvis iam non sit, si non fuisset præterita, vox iam non significaret, sicut, si Rex non fuisset olim à Republica institutus, non esset iam Rex, & consequenter ab illa institutione debet dici esse constitutus.

Ad confirmationem Respondeo distinguendo minorem non habet illam sufficienter ad hoc ut denominetur instituta, nego minorem: non habet illam ita, ut ipsa iam physice existat, concedo minorem, & nego primam consequentiam, quia sufficit quod habeat denominationem ab illa.

CONCLUSIO IV.

Non prius respicit signum rem significatam quam potentiam cui significatur, nec dicitur duo respectus.

13. *Signum nullum siue naturale, siue ad placitum, ut tale, prius respicit rem significatam, quam potentiam, cui significatur, nec è contra: nec consequenter dicitur duo respectus, quorum unus sit prior altero, sed eodem indivisibiliter respectu aptitudinali respicit utrumque.* Hæc contra aliquos, qui existimant quod prius respiciat rem, quam potentiam, & quod respectus, quem dicit ad obiectum, sit essentialis illi, respectus vero ad potentiam proprietas ad illam priorem sequens.

*Probat*ur autem, quia non sunt multiplicanda entia aut formalitates sine necessitate: sed non est necessitas vlla multiplicandi huiusmodi respectus, quandoquidem vnicuique respectu possit quis tendere in plura, quando non potest tendere in vnum ex illis, quin necessario tendat in alterum, nec potest intelligi ut tendens in vnum, quin intelligatur ut tendens in alterum: sed signum non potest nec respicere, nec intelligi respicere rem significatam per modum signi, quin respiciat & intelligatur respicere potentiam, cui significatur, nec è contra: ergo vno respectu debet dici utrumque respicere. *Rursus* nulla est ratio, ob quam dicatur potius respicere rem significatam prius quam potentiam aut è contra: ergo utrumque æque primo debet dici respicere.

Dicitur in explicatione ipsius, quando dicitur, quod sit illud, quod repræsentat aliud potentia, res significata ponitur magis directe quam potentia: ergo signum est, quod prius respiciat rem.

Contra, quia etiam in alia explicatione æque bona ponitur potentia magis directe quam res, ut cum dicitur quod sit illud, quo potentia deducitur in cognitionem alterius: ergo si valeret consequentia replicari, deberet dici respicere primo potentiam, vnde cum hoc non sequatur secundum aduersarios, nec illud etiam sequitur. Quare in forma nego consequentiam, & nego quod illud, quod ponitur semper magis directe in explicatione rei, sit magis essentialis ipsi.

Quæres, an signum ex instituto constitutur formaliter per ens rationis.

Respondeo ex dictis in disputatione de ente rationis, negative, quia est eadem ratio de signo, quantum ad hoc, ac de cæteris, quæ denominantur extrinsece; bene tamen potest intellectus fingere in huiusmodi signis aliquid intrinsecum, per quod haberent esse signum formaliter, & hoc modo considerata signa constituntur per ens rationis: & hoc tantum est, quod vult *Doctor*, quando videtur dicere, quod signa ex placito dicant formaliter ens rationis: quod totum patet ex dictis in illa disputatione, nec ad logicum institutum est necesse plura de signis contexere.

ADDITIO.

Mastrius in suis summulis seorsim impressis & auctis c. 4. ait me in hac questione nimis audacter inficiari doctrinam D. August. qua describit signum, quam doctrinam inquit omnes venerantur ut communis Magistri, vnde mirum esse non debet, quod hic Auctor minimo rubore suffusus doctrinam Scoti Præceptoris audeat impugnare. Verum an ego impugnauerim doctrinam

Scoti, aliter, quàm ipsi Scoto honorificè esset & vtile & mihi nullius ruboris causa, ex mea appendice Apologetica & additionibus huius editionis satis apparet. Sed quod ad præsens attinet, ego contra descriptionem Augustini nihil dico, nisi quod non sit adæquata, quia non complectitur omne signum, nec volui, aut cogitavi quod non esset bona & adæquata signi sensibilis descriptio, quod omnes cum ipso Mastrio agnoscerent descriptum fuisse ab Augustino, non signum ut sic: quomodo ergo potest dici quod ego inficiari doctrinam S. Augustini, aut nimis audacter, aut vilo modo? Certe si eam inficior quia assero non esse adæquatam seu comprehendentem omne signum, ipse Mastrius non erit ab audacia celsura immunis. nã in hoc ipso capite proponit aliqua, ex quibus necessario sequitur quod non sit adæquata: nam imprimis dicit signum diuidi in formale & est illud quod absque sui præuia cognitione aliud nobis repræsentat; quales sunt species impressæ & expressæ respectu proprii obiecti; & in instrumentale, quod præsupposita sui cognitione facit nos in cognitionem alterius venire: sed manifestum est quod descriptio Augustini non conueniat signo formali: ergo secundum ipsum Mastrium descriptio Augustini non est adæquata signi ut sic, nec comprehendit omne signum. Deinde asserit descriptionem Augustini conuenire signo formali, si dematur prima pars: ergo non conuenit ipsi si non dematur illa pars, & consequenter absolute ut iacet, non est adæquata. Vnde sane Mastrius non mediocri rubore suffundi deberet, quod mihi vitio vertat illud, quod ab ipsomet satis expresse eodem loco docetur.

Sed nec sufficienter Mastrius descripsit signum formale esse quod repræsentat seu facit aliud in cognitionem venire: nam ut dixi contra Hurtadum causa proponens rem facit rem illam in cognitionem venire, nec tamen est signum, & Deus etiam facit nos in multarum rerum cognitionem venire; neque sufficit dicere quod nō faciat in cognitionem venire tanquam obiectum cognitum; quia neque signum formale sic debet facere venire in cognitionem alterius. Vterius Mastrius eodē loco ait me redarguere alteram illius Augustinianæ descriptionis partem, tanquam ab Arriaga traditam, quia obiectum facit nos in cognitionem sui venire, & Deus facit nos in cognitionem multarum rerum venire.

Contra quam meam impugnationem opponit, quod obiectum non faciat nos in cognitionem alterius venire, sed sui; & quod nec obiectum faciat nos in cognitionem sui venire, quatenus cognitum, ut facit signum; nec Deus ut cognitus faciat nos venire in cognitionem aliarum rerum.

Sed certe si Mastrius rubore suffundi timeret, deberet cautius legere Authores quos impugnat, & eos intelligere antequam impugnaret. Imprimis nō redargui alteram illius descriptionis partem, tanquam ab Arriaga traditam, sed impugnavi ipsam Arriagæ descriptionem, quæ nō coincidit cum altera illa definitionis parte: nã definitio Arriagæ est quod signum sit quod facit nos in alicuius rei cognitionem venire, pars autem illa descriptionis dicit quod signum facit aliud in cognitionem venire, seu quod facit nos in cognitionem alterius venire. Hæc vero sunt tã diuersa quam diuersam habet significationem aliud & aliquid: alicuius & alterius. Et mea prima impugnatio Arriagæ de obiecto faciente nos in cognitionem sui venire, optime habuit locum contra ipsum, quia dum facit venire in cognitionem sui, facit sine dubio venire in cognitionem alicuius; non habet vero locum contra secundam partem descriptionis Augustini, quia quamvis obiectum faciat in cognitionem sui & consequenter alicuius venire; non tamen eo ipso facit venire in cognitionem alterius. Ex quo patet, neque me impugnasse secundam partem descriptionis Augustini; neque Mastrium me intellexisse; neque valere contra me quod opponit, obiectum non facere venire in cognitionem alterius, sed sui.

Sed neque secunda responsio ipsius, qua dicit obiectum & Deum non ducere in cognitionem alterius tanquam quid cognitum, ut facit signum: nam si non sufficiat ad signum quod faciat venire in cognitionem alterius quomodo documque, ut fateretur hic Mastrius, sed requiratur quod tanquam

Non constituitur signum ex instituto per rationem rationis.

tanquam cognitum faciat venire in alterius cognitionem ergo non sufficiat describeretur signum esse quod faceret venire in cognitionem alterius, sed deberet specificari modus particularis quo signum facit in cognitionem alterius venire, ob quem modum habet rationem signi, ut hoc distinguitur ab omni eo quod facit in cognitionem alterius venire, & non est signum: quare cum ille modus non sit specificatus in definitione Arriagæ neque etiam in secunda parte definitionis Augustini, si tollatur pars, merito ego impugnavi descriptionem Arriagæ, & poteram impugnare secundam illam partem Augustinianæ descriptionis. Et sane si vlla ex illis esset bona, quamvis quoad verba expressa posset convenire alicui, quod non esset signum, quia posset addi explicatio illa Mastrij: nempe quod signum, quatenus cognitum, faceret in cognitionem alterius venire; posset dici, quod hæc esset bona descriptio hominis, homo est animal; nam quamvis competat Bruto esse animal & propterea diceretur non esse bona descriptio hominis; tamen ad hoc responderi posset, quod animal quod dicitur de homine, esset animal rationale, quale nequit dici de Bruto.

Addi posset, quod Deus, etiam ut cognitus visione beatifica, faciat in cognitionem creaturarum venire, & tamen non sit signum, ergo videri posset non sufficere ad signum, quod, etiam ut cognitum, faciat venire in cognitionem alterius. Vnde patet ex omni capite deficere discursum Mastrij.

Hæc scripsi occasione illarum summarum, quas obiter tantum vidi apud quendam Patrem, qui statim à me discedere debebat, nec voluit illas mihi relinquere, in quibus fortassis plura alia contra me addita sunt, quibus ceteris satisfacere conarer, si summa illæ hic, vel Lugduni ubi hæc scripsi reperirentur.

QVÆSTIO II.

Utrum voces significant immediate conceptus an vero res

15. **O** Varietur in præsentia, utrum voces, quas ex dictis quæstione præcedenti suppono esse signa ad placitum, significant rem, quam concipit proferens vocem, an conceptum formalem, seu cognitionem, quam habet de illa re, an vero utrumque simul. Intelligitur autem hic per rem omne illud, quod est obiectum cognitionis, siue sit reale quid, siue rationis, siue positivum, siue negativum; siue etiam sit conceptus formalis, seu cognitio; siue non. Per conceptum vero formalem intelligimus cognitionem, quam habet quis de aliquo obiecto secundum se, non quatenus est obiectum alterius cognitionis, seu quatenus cognoscitur per aliam cognitionem: exempli gratia dum aliquis proferat hanc vocem *homo*, si eam significanter proferat, non est dubium, quin intelligat illud, quod dicitur homo, & illud dicitur esse res; cognitio vero seu intellectio dicitur esse conceptus, & non res. Similiter quando proferat hanc vocem *intellectio*, concipit illam rem quæ dicitur intellectio, per aliam intellectionem, & prior intellectio dicitur esse res; secunda vero non dicitur esse res, sed tantum conceptus.

CONCLUSIO.

Voces per se primo significant immediate res, non vero conceptus.

16. *Voces per se primo immediate significant res, & non conceptus rerum.* Est Doctoris 1. dist. 27. quæst. 3. & quæst. 1. huius libri quem præter suos sequuntur Gabriel in 2. & st. 22. Arriagæ disp. 13. quæst. 2. & quidam recentiores contra Combricensis cap. 1. huius libri quæst. 3. art. 1. & alios.

Probaturs primo, quia si voces immediate significant conceptus, hæc propositio esset falsa; homo est animal: sed hoc est absurdum: ergo. Probaturs sequela; tunc propositio affirmativa vocalis est falsa, quando illud, quod significatur per predicatum, non continetur isti, quod significatur per subiectum: sed si homo significat conceptum formalem hominis, & animal conceptum formalem animalis, quod significatur per predicatum huius propositionis non continetur illi, quod est significatum subiecti, neque

enim conceptus formalis hominis est conceptus formalis animalis, aut è contra, ut patet: ergo.

17. *Probaturs secundo*, quia voces per se primo sunt impositæ ad significandas res: ergo eas per se primo immediate significant. Probaturs antecedens, quia homines, intelligentes voces, per se primo deveniunt in cognitionem rerum, & non conceptuum: ergo per se primo sunt impositæ ad significandas res & non conceptus.

Confirmatur, quia aliàs Græcus audiens propositionem Græcam prolatam ab ignorante linguam Græcam non intelligeret propositionem illam, quod videtur absurdum. Probaturs sequela, quia non intelligeret conceptum formalem, quem proferens habet.

Dices ex his haberi quod res etiam immediate significantur per voces, sed non haberi, quin etiam conceptus immediate per ipsas significantur.

Contra, quia si utrumque simul æque primo significant, omnis vox esset æquivoca, quia æque primo significaret plures res, & non secundum eandem rationem: ergo non significant utrumque simul, & consequenter, si significant res per se primo immediate, non significant conceptus immediate.

18. *Contra secundo*: quoties aliqua vox significat duo sic se habentia, ut vnum ex illis possit intelligi per vocem, non intellecto altero, non vero è contra; illud, quod potest intelligi sine altero, immediatius significatur per vocem, ut patet: sed conceptus non potest intelligi per vocem, nisi intelligatur res cuius est conceptus, res vero per illam vocem potest optime intelligi, non intellecto conceptu: ergo immediatius & primarius significantur res per voces, quam conceptus.

Intuli autem, semper, quod voces primario & immediate significant res, & non conceptus, quia non dubito quin secundario & mediate significant etiam conceptus, præsertim quoties proferuntur ab aliquo significanter: nam quia non potest quis sic eas proferre quin intelligat res, quoties audit quis aliquem proferentem voces significanter, primo quidem devenit in cognitionem rei significantæ, & postea potest, si vult, cognoscere, quod proferens habuit etiam conceptum istarum rerum. Et per hoc solvantur omnes authoritates, quæ contra nostram conclusionem adduci solent, nihil enim aliud concludunt quam voces secundario significant conceptus.

19. *Obiicies primo*: Voces sunt institutæ principaliter ad significandos conceptus: ergo. Probaturs antecedens, quia ideo instituerunt homines voces, ut declararent median- tibus iis suos conceptus.

Confirmatur, quia Angeli qui possunt declarare suos conceptus sine vocibus, non instituerunt voces: ergo ideo homines instituerunt voces, quia non poterant instar Angelorum declarare suos conceptus sine vocibus.

Respondeo distinguendo antecedens: ut per voces immediate significant, nego, ut mediate, concedo antecedens & nego consequentiam. Similiter distinguo probationem antecedentis: ut declararent per eas immediate, nego; mediate, concedo. Distinguo etiam consequens confirmationis, ut mediate declararent concedo, ut immediate, nego consequentiam.

Et si queratur, quandoquidem per voces voluerint declarare suos conceptus, quare non voluerint immediate illos significare? Respondeo, quia non poterant; quandoquidem, ut supra dixi, non possunt declarare suum conceptum, nisi ostendendo obiectum eius, & non poterant ostendere obiectum eius per vocem, nisi instituendo ipsam ad significandum immediate istud obiectum.

20. *Obiicies secundo*. Tum homines mentiuntur, quando proferunt verba non significantia suum conceptum formalem: ergo quando non mentiuntur, verba quæ proferunt, significant suum conceptum formalem.

Respondeo, quidquid sit de antecedenti distinguendo consequens, primario & immediate, nego, secundario & mediate, concedo consequentiam.

Obiicies tertio. Hæc voces, *intellectio, cognitio, conceptus formalis* significant immediate ipsum conceptum formalem: ergo saltem aliquæ voces significant immediate conceptus formales.

Voces significant etiam conceptus.